cipitant. Et, quę ſolvunt unum corpus, intactum ſæpe relinquunt alterum. Quæ ſe ſali asſociant, ab iis bona pax eſt Mercurio. Neq;, quod huic amicum eſt, cum ſulphure quoque conſpirat. Qua de cauſa arbitramur, non dari in rebus naturalibus ſive menſtruum ſive ſolvens, quod naturaliter & convenienter omnia corpora diſſolvere, multò minùs proprietates eorum naturales & facultates integras, in una esſentiâ conjunctas, extrahere queat. *Aphoriſmus* XXII.

Quicunque fuſus ſupra corpus minerale fixum vel lapideum liquor / id in formam liquidam ſolvendo, aut in pulverem ſubtiliſſimum præcipitando agitatur atque effervescit: is corroſivis, quę verè ac realiter talia ſint, meritò accenſetur.